

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**La Planche, Michel-François de -  
candidat / Thouret, Auguste -  
président. - An à solâ observatione  
sympathiae doctrina ?**

**1776.**

***Paris : Typis F.A. Quillau,  
Universit. & Facult. Med.  
Typographi***

***Cote : ms 2337 n°96***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes  
.fr/histmed/medica/cote?ms02322\\_ms02337ax16x0096](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax16x0096)



DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,  
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,  
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ  
mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXVI.*

M<sup>o</sup> AUGUSTINO THOURET, è Regiâ Societate Medicâ  
Parisiensi, pro epidemiis institutâ, Doctore-Medico, Præside.

*An à solâ observatione sympathiæ doctrina?*

I.



UNCTA naturæ corpora certâ de causâ moventur,  
certum ad finem; cuncta nisu perpetuo se invicem  
alliciunt, aut remonent. In moles agit attractio,  
vis insita, quæ normâ constanti, decursus syderum,  
orbis terraquei motus, æstusque ipsos oceani regit  
ac determinat. Elementares mixtorum moleculæ, sub  
chymicæ affinitatis nomine, suas habent unionis dissiidiive leges:  
hinc tot, imis sub terræ visceribus, moventur quotidie, miscentur,  
dissolvuntur, renovantur.

Est etiam vitâ præditis, sua sibi invicem, aliisve coherendi ratio,  
suus sese, pro re natâ, removendi modus. Spontaneus eorum impulsus



ad alia, sympathiae nomen, horror ab aliis, antipathiae titulum obtinueret. Exempla sumas è plantis quæ suum, præ aliis, solum, suos amant syderum aspectus, suos habent, quos metuant, hostes. Belluæ suum, ubi vivant, pabulum, suum quo sanentur, ex mille non congruis, didicerunt ab instinctu proprio, sensuque, discernere medicamen. Suae sunt insuper ipsis hominibus diversæ cum plantis, cum belluis, cum alimentis, medicamentis, aliisque exterioribus, convenientiæ; suus est in eos, ut in vastum oceani gurgitem, cœli & syderum influxus. Talem deniquè varias inter hominum mentes, inter animam & corpus, matrem inter & foetum, varias inter corporis partes, Medici observarunt adesse connexionem, ut exindè innumera sequerentur mutuæ actionis reactionisque phœnomena, quibus sedulò indagandis, omnes ingenii sui nervos intenderunt.

Hæc omnia phœnomena quæ vago sympathiae nomine insignivit usus, classem nobis geminam efformare videntur; alia quidem in quodam sociatis amore, fermè tota versatur, & ea *sympathia simplicis analogiæ* vocari poterit; altera verò ob intimum actionis affectionisve simultaneæ commercium *sympathia mutui consensûs*. Indè sequitur, per sympathiæ vocem, sensu generaliori sumptam, intelligi posse, *mutuam convenientiam, mutuum ve consensum varia inter individua aut varias unius ejusdemque individui partes*. Diversa sanè præstò esset utriusque classis in lucem edere, specimina; cæteris verò omissis, ea tantum ad scopum nostrum conferre credimus, quæ ex partium commercio & connexionependent; hæc Medicis sedulò observare necesse est; verum ubi rationem expiscantur, navem suam allidunt mille scopulis; à solâ igitur eorum observatione, tota scaturit sympathicæ doctrinæ utilitas.

#### I I.

**A** RCTISSIMUM animum & corpus intercedere commercium evincit vitæ, sanitatis, morbi & mortis historia; ex hac enim liquidò patet, quantum naturalis utriusque status, mutuæ felicitati consulat; ita & quàm graves ærumnas alterutrius afflictio conciliet alteri: ne minima quidem immutatio mentem afficit, quam consentanea corporis dispositio statim non prodat; undè vultus speculum animæ dicitur; undè Physicus quidam (1), alias observat esse mentis affectiones, quæ, ut pudor & mansuetudo, vultum magis, alias, quæ illum minùs, ut libido effræna, condecorant. Né verò à corporis affectibus alienum magis animum esse credideris; irritentur enim nervi, mens dolet; leni stimulo titillentur, gaudium illa promit: comprimatur, inflammerve cerebrum, tacet sopita, vel delirat; fatiscant artus, grave adsit subeundum naturæ certamen, faciscit & anima; languet hebes, nullisque apta muneribus.

(1) Lancel. de  
magn. differt.  
phys. sur l'homme,  
pag. 84.



3  
et illi triumphus acclametur, en & sua menti nativa redit hilaritas  
& suis tota libens incumbit officiis.

Matrem inter ac foetum specialem adesse sympathiam, uno ore contentur omnes; quamvis enim ab ærumnali graviditate natos quandoque videamus athletas, matris tamen & foetus sat consentaneas esse valetudines, frequentior testatur observatio. Sunt autem quæ omnium maximè detinent animos; formæ scilicet, ingenii, studiorumque similitudines; ægritudinum hæreditaria transmissio, indelebiles nævi; pejoresque, à curiosâ nimis & formidosâ rerum horrendarum contemplatione, foetui impressæ deformitates. Norunt omnes gravidam olim mulierem cujusdam supplicii testem incautam, fractis cruribus reo similem posthac edidisse foetum. Vidi mulierem quæ, cum graviditatis tempore, naufragii minas persensisset, paucis post diebus enixa, infantem doluit epilepticum. Meticulosas quasdam nervosisque insultibus obnoxias quandoque etiam obtigit videre mulieres, quarum modò nati infantes tremore creberrimo corripiebantur.

In quocumque vitæ statu, sano, morbofove considerare hominem volueris, in eo semper intueri dabitur vel *consensum* (1) *omnium ferè ejus partium, ad singulas functiones ritè perficiendas inter se conspirantium; vel compassionem quamdam, quâ fiat, ut unâ malè affectâ, simili, vel diverso, tristi tamen sensu, condoleat altera; prior vocari posset consensus actionum, seu sanitatis; posterior consensus passionum, (\*) seu morbi.*

(1) Rega, de  
sympathia, pag.  
2.

Suos fames exerit per corpus omne stimulos; quorum effectus apud homines sensu acutiori præditos notantur facilius. Oriuntur enim hæc urgente, angor anxietasque circà præcordia; difficilis & suspiciosa respiratio cum frequenti oscitatione, transitorius capitis dolor, animi morositas, tremor, horror, vertigo, deliquium, & pejora, ni latranti ventriculo statim obtemperent.

Grande digestionis opus, quot, ut ritè perficiatur, organicas ad se partes, quot congruos advocat humores! quot concurrentes motus exigit! Agunt enim seorsim maxillæ, labia, genæ, lingua, oris cavitas, palatum utrumque, salivales glandulæ, faucium isthmus, larynx, pharynx, horum omnium, complures sanè muscoli; tum œsophagus, ventriculus, intestina, jecur, lien, pancreas; his opitulantur cuncta respirationis organa; agunt vasa & nervi microcosmi ferè omnes, motum,

(\*) Vox *passionum* obscure accipitur apud Regam. Non enim præcisè morbum, ut ipse interpretatur, significat; sed impressionem quam pars qualibet *patitur* ob enatam sensationem: cujusquidem, ut & *actionis* sympathia, etiam si in morbo sit evidentior, nihilominus in sanitate se quandoque exerit, Ideo tantum minus conspicua, quod ad æquilibrium machinæ justè componatur. Illud enim æquilibrium, quo constat sanitas, quo variorum partium sensus actioque naturaliter consentiant, est reverà mutua partium inter se sympathiæ, immediatus effectus.



calorem, sensumque, versus coctionis officinam magis magisque ex ambitu determinantia.

Suus est narium sensus, ut judicent, utrum quod offertur obesse vel proficere poterit; suus ori & linguae, ut decretum prioris organi confirmet; suus ventriculo, ut alacriter operi allaboret; suus intestinis, ut priorem perficiant laborem, & novum inchoent, parati nempe chyli transitum in interiores machinae mæandros, nec-non fecum acredine stimolata, vires permultas sollicitent, his evehendis idoneas.

Plurimi, sive ut diluant, sive ut temperent, sive ut extrahant, sive ut assimilent, ad digestionis optimæ scopum undequaque depluunt humores: lacrymæ, saliva, ros gastricus, pancreatis humor, & bilis, & ros intestinalis, & ipse mucus omnes inungens membranas, ne fortè allidantur, præsertim in crassioribus, ubi viget acredo major, intestinis.

Ex his omnibus oriuntur motus multiplices: incidens, lacerans, molens, compingens in ore; propellens in faucibus, per vim quidem, ut aiunt, peristalticam, toti tubo alimentari communem; item in ventriculo, motus ab ipsius contractione succutiens, atterens; à calore loci, fermentationis animalis speciale genus; ab elasticitate aeris conclusi, assidua reactio; motus dissolutionis, extractionis, & affusorum humorum *συνέσθωσις* in duodeno, suctus in cæteris; expulsionis demùm in ultimo, cui quidem expiratorii nifus, ut in partu fieri solet, admodum opitulantur.

Ut debita per totum corpus fiat fluidi vitalis irroratio, irritabilitati cordis, flexibilitati & elasticitati canalium, necessariam conferunt opem nervei funes ubique diffusi, sensum cunctis partibus conciliantes; nec minùs continua musculorum activitas fluido versùs commune receptaculum redituro famulatur; ex horum enim præsidiorum defectu, mille morbi, vitæ desidis atque otiosæ scopulum. Ecquis demùm oclusas subito non videt purpureo latici vias, nisi congruam motuum respirationis alternatione, sua vasis successivè adimatur, restituaturque amplitudo & sic vicissim oclusis fortè motus circulatorii viis, respirationem illicò sufflaminari necesse est.

Ipsa respiratio, quot partes in exercitii sui consensum adducit! quot secundariis actionibus operam admovet! Ad sunt cor, vasa, pulmones, larynx, oris nariumque cavitates, thorax, omnes ejus muscoli; tumque, dorsales, abdomen ambientes cuncti; denique præcipuum agens, diaphragma. Absque respiratione sistitur circulatio, digestio languet, ægrè fiunt excretiones, ægrè partus absolvitur; labori natum, suas corpus à labore mutuans vires, nullum ferre pondus poterit, nulli par erit exercitio. Respirationis beneficia hæc haberi possunt; vox ideas commu-



nicans ; cantus animos exhilarans , mentis fugare morbos , & lenire tigres efficax ; tum risus , fletus , gemitus , ululatus , suspiria , singultus , tussis , oscitatio , totidemque diversæ patientis animi testes , corporeæve cuiusdam molestiæ effectus ; his enim sui sunt in vultûs habitu , vel respirationis normâ variè mutatis , diversi characteres.

Sensus amicè inter se conspirant ; sine auditu , loquela nobis deficeret. Olfactus palato consulit , & gustus ipse sensui quem ventriculo proprium esse novimus. Duo oculi , duæ palpebræ versùs objectum quodvis , motu simultaneo feruntur ; duæ his impressæ in unam coeunt imagines ; sic & ambæ nares , unicâ licet odorem aspirante , simul æquè retrahuntur ; sic & duæ simul arriguntur auriculæ , licet ad unam insurrexerint ; & quamvis utramque sonus afficiat , unica tamen idea nascitur.

Partium speciei propagandæ dicatarum egregius cum cæteris omnibus , voluptatum præsertim aurorâ affulgente , consensus eminet. Quæ totæ in nutriendo roborandoque individuo antea vires infumebantur , has eò nunc appellere necesse est , novo similique informando corpori penitus adhibendas. Dùm verò tantum natura molitur opus , perficite , cunctas juris sui facultates in consortium advocat , ut è remotissimis machinæ recessibus vita , ad novi corporis emolumentum eliciatur.

Mirabiles uteri cum toto corpore consensus evincunt , haud rara admodum graviditatis phænomena , nausæ scilicet , vomitus , alvi contractio , tormina , *εμέλιος, κίσσα, μαλακία* , dolor & artuum lassitudo , maculæ cutis , sæpè & prurigines ; deindè *δυσπνοία* , tussis , aurium bombi , dentium & capitis dolores , deliquia , vertigines & varia imaginationis vitiatæ deliramenta.

Jamverò foetus exitum ubi natura molitur , en auxiliatrices undequaque manus sibi comparat. In principio quidem sola suum aggreditur opus ; uteri repetitæ contractiones contenta versùs ejus ostium applicant , illud attenuant ; membranarum apex instar cunei sese inferens , idem ampliat & extendit ; mox verò instant dolores ; systema nervosum totum ferè intenditur ; sensus acutiores evadunt ; invalescunt nifus præsertim expiratorii , toti quidem in simultaneâ diaphragmatis ac musculorum laryngæorum abdominaliumque contractione ; massa intestinorum in globum solidum veluti coacta , vim quamdam pressionis & resistentiæ simul opponit ; ut agunt certatim omnes corporis muscoli ! ut ipsæ saliunt turgentque venæ ! ut rubet facies ! ut sudat , præ nimio labore , totus corporis habitus ! Foetu tandem in lucem edito , cessatis doloribus , somnus & amica quies benignè succedunt , fractas reparant vires , intereaque novum recens nato natura parat è puriori sanguine pabulum.

Nullus in statu sano feriatur unquam musculus : flet corpus aut



sedeat; ambulet, ascendat, descendat, curset, aut quocumque modo sese exerceat, moventur semper & agunt muscoli ferè omnes; ita tamen ut diversas, etsi ad scopum eundem, partes agere videantur. Si nulla notabilis exerceatur actio, subsistit tamen in eis tonus quidam ad corporis æquilibrium tuendamque articulorum firmitatem, necessarius. Stet aliquis, plerique tunc artuum inferiorum operantur musculi; plures tibiam, plures alii semur, plurimi pelvim extendunt; interim agunt & alii qui firment articulos, & alii qui extensiones antagonismo suo moderentur. Quis verò deglutitionis tempore, quis actu puerperii, quis rotatorio brachii motu, quis dum jumenta grave trahunt plaustrum, gestant ve pondus, quis agentes cunctis hisce in casibus recensere par esset musculos, & calculo subicere vires hæc cooperatione comparatas?

Si singulæ corporis animati partes, quamdiu sanitate valent, amicâ societate sibi mutuò famulantur, has & malorum inter se participes facile fieri credideris. Utque à ventriculo sumatur exordium; si saburrâ turgēt, & similis linguam obducit sordes; dolet caput, livefcit cutis; respiratio molesta, spontanea lassitudo statim accedunt, ferè apud omnes. Sunt (1) *Lippi haud pauci, quorum oculi, digestionis conamine dolent, rubent, etiam inflammantur; quæ omnia eadem proportionē cessant, quæ ventriculi mutatur actio; unicus meri haustus ulcera tibiæ exacerbat. Cicutæ aquatica, fungi venenati, belladonæ fructus, opii pilula quamvis è ventriculo nondum emissæ, jam mille turbas, atrocissimos dolores, terribiles spasmos, horrendos ululatus, soporemve perpetuum egisse pluriès observarunt Medici. Quid vermium strages memorem? Nonne observare sufficit anginam, vultus erysipelas, ophthalmiam, pleuritidem, asthmata, tussés clangosâs, insultus epilepticos infantum, apoplexiæ species ac paralyfes quasdam, morbos intermittentes, suum in regione epigastriâ fomitem habere, latentemque hospitari causam? Quoties enim saburrâ vacuatâ, veneno educto, fugatis vermibus, sedato per anodyna ventriculi spasmō, refo-cillatîve hujusce viribus, tot stupenda vidimus, veluti per incantamentum, evanuisse symptomata!*

Vellicato, vulnerato vel incarcerato quolibet intestinalis tubi segmento, quid? nausæ perpetuæ insurgunt, perpetuus vomitus; supprimuntur urinæ, fiunt singultus, pâllorem mortis adest, & sudor gelidus, & febris acutissima, cum pulsu strictissimo, valdè irregulari. Si quæ fortè pedicis irritatio tenesmos intestinales efficit; en & tenesmi vesicæ insequuntur, & priapismi, & vagi cutis horrores cum alvi dolore, nonnunquam ad ipsas fauces usque protenso. Hepate in-

(1) Vide Thes. Tn. Borden, an omnes organice corporis partes digestionem optineant? Propug. an. 1752.



farcto; affectus in renes transit; ægrè mingitur, siccatur alvus; extolliunt hæmorrhoides; calor urens cava manuum pedumque moleste admodum afficit.

A nephritide nausæ, vomitus, retractio testiculi. Testatur Baglivus exciso olim cadavere, compertum fuisse calculum in rene de quo nunquam æger, sed de altero conquestus fuerat. Et nemo nescit, rene unico in calculosis affecto, quandoque sic alterum compati, ut penitus hinc sequatur urinæ suppressio (1).

(1) Etmuller, colleg. pratic. vol. 209.

Vesicæ calculum inesse, mictio stranguriosa, tenesmus intestinalis, penis glandisque dolor & prurigo ingrata pathognomonicè denuntiant. Peraçtà solertissimè ut fieri solet, in sexagenario quodam, lithotimiâ, singultus enasci mox, improspersisque ipsismet optimis remediis, in multos dies protrahi plurimi hocce anno vidimus in caritatis Nosocomio.

Terribiles masturbationis effectus, lumborum dolor atrox, dorsi tabes, collapsus ventriculi, urinarum suppressio, sincipitis dolor, visus debilitas, memoriæ jactura, hypochondriasmus, mille damna per totam œconomiam ex genitalium labe diffundi satis superque significant.

Ex patienti utero quot insurgunt mulierum clades! Mictio dolorosa suppressive, tormina, nausæ, vomitus, palpitatio, syncope, suffocatio, globus ascendens, juguli constrictio, clavus, clamitationes, illacrymationes, deliria, furor amoris, vertigo, tinnitus aurium, icterus, frigus, stupor, convulsio.

Ubinàm arctius sese offert quam mammas inter uterumque confortium? Is inflammetur in puerperâ, lactis secretio deficit, & vicissim lacteo illarum infarctu supprimuntur lochia: idem ipse testatur Hippocrates. Si mulieri (2), inquit, *uterum ferenti mammx subitò extenuentur, abortit. Mulieri (3) uterum gerenti, si lac è mammis fluat copiosè, fatum imbecillem significat. Si verd firmæ, solidæque mammx fuerint, valentiorẽ conceptum indicant. Si mulieri (4) menstrua velis sistere, cucubitulam quàm maximam ad mammas appone.*

(2) Sect. 5. aph. 37.

(3) Id. aph. 52.

(4) Id. aph. 50.

Est ne una pars in corpore, cujus ad præcordia transire non valeat ægritudo? Est ne una in pectore, quæ confortes operis alias pariter & sui condolentes non efficiat? Quænam ex his specialem quoque non subit sympathiam cum annexis, licet ordinis diversi, visceribus? Larynx, cum deglutitionis organo; pleura, cum colli lateribus & alvi membranis; cum stomacho septum musculosum; pulmones demùm cum encephalo; si quidem peripneumonia pleuritide pejùs, dolore capitis & delirio stipari solet?



Qui ex ictu capitis occumbunt, bilem porraceam evomunt; his post mortem incisus, abscessus ferè semper in hepate reperiuntur. Ob fistulam cranii, gangrænam, moxque sphacelum lethalem in pedis unius pollicem decubuisse testatur *Bonhius* (1). Solâ palpebræ puncturâ, paucis post horis, inter insultus epilepticos obiisse Joannem Bekkerum, memorat *Bonetus* (2). Oculi dolor ex altero sæpè in alterum ruit. Cataracta si unum corripuerit, mox & pro altero metuendum; fistula lacrymalis duos sæpè alium ab alio faccos obfidet. Marore demittuntur oculi: gaudio scintillant: irato torva tuentur: deliranti prominent: alvi tormina patienti, mirè excavantur: convelluntur, sæpè obtæcantur apud hystericas: in agone roriformis obtegit eos nubecula; quid plura? Cum varias subeant, pro vario corporis ac animi statu, mutationes, nonnè specula utriusque jure habendi sunt ac Medicorum intuitu dignissimi?

Consentiunt nares ipsæ plurimis; tabacum lacrymas ciet, sternutamentum evocat, ac primò utentibus, præcordia mirè constringit: Solus fennæ infusæ vapor alvum movet: gas vini cerebrum turbat: sopiunt papavera: recreant flores: factor in syncopem dejicit, & mirabiliora statu puerperii prodeunt odorum phænomena.

Dentium eruptio quot pueris quotidie calamitosa! huic tamen si diarrhæa sese adjunxerit, res eorum sunt in vado. Dente unico dolente, dolere & omnes aliæ videntur; dolent sæpè oculi, dolent aures, dolet & ipse ventriculus: odontalgia si fame correpto repente superveniat, mox satiatur; si à pastu, turbatur digestio. Topica vires suas è cute, usque in intima corporis devehunt: ab aloë versus umbilicum applicato necantur vermes; ab arthanitæ unguento alvus ducitur; ab emplastro theriacæ, roboratur ventriculus. In internis inflammationibus, cutem dum laxant, summum levamen afferunt balnea. Novit A. PETIT (3) hominem anginae obnoxium, qui se morbo familiari statim correptum sentit, ni singulis diebus alvum colluat: frigida in corpus inspersio sistit hæmorrhagias; quod quidem in hemoptoë feliciter applicatum, fluentibus catameniiis extemporaneum foret. Si quis hemoptoë forte laboret, ait Rega (4) applicentur ejus testibus lintea aceto madida; & mox hemoptiden sisti miraberis. Idem usui venit in ebrietate, quæ hoc remedio visa fuit pelli. Sudans labore, gelidam epotet, cutis astringitur & repullus sudor agit tragædias. Testes ipsi sumus, ob enatam ex improvviso atrocem cephalalgiam, mox ab undecim hirudinibus impressa podici, statim & penitus oclusa fuisse vulnera.

En brevissimam vulgatissimorum utriusque sympathiæ phænomenorum adumbrationem; en res inconcussas, quas nulla manet futura Medico-

rum

(1) De renuntiatione vulnerrum fol. 39.

(2) Sepulchret. anat. fol. 137.

(3) Id à celeberrimo publico docente Magistro nos docuisse collim, ultio profitemur.

(4) Rega, de Symp. p. 259.



rum oblivio. Consensus actionum si quis ignoret, hunc certè fugiunt & functionem ordo, & præcipuæ sanitatis conditiones. At quantò pejùs sibi ad praxim consulit, ni sympathiæ morbosæ observandæ studiosius incubuerit; quonam enim indigitante verè-sympathicos par erit affectus ab idiopathicis discernere, futurosque prælagiri morborum eventus? Quis genuinam edocebit artem quâ saluti ægrorum citò, tutò & jucundè prospiciat? Potius metuendum est, ne naturæ rudis illi officiat, nedùm opituletur, erroris ludibrium.

Sunt tusses ab epigastricâ regione, præcordia diu noctuque dirè exercentes. Has à genuino pectoris catarrho discernere nescius, tepidis, mucilaginosi, oleosis curare suscipiet; ecquid agis? Ingravescit malum; alter verè Medicus causam discernens à symptomate, prudenti emeticorum, leniterque evacuantium usu, passimque adjunctis tonicis levioribus ac temperantibus auxiliis, optatam affert ægritudini medelam. Si capite propter uterum dolente, totus in cephalicorum usu, verferis, tunc vel differtur levamen, quod verè est nocere; vel calidis, reluctante naturâ, subministratis, igni pix additur, undè medicina malo pejor. Plerumque etiam tot simul exæstuant fluctus, tot cooriuntur procellæ, ut ventos sese implicantes sympathiarum ignarus accusaveris; unicus tamen insufflat, furenti cautus injice vincula; sic compesces æstus, & tempestatem excipiet amica serenitas. Quantoperè variis sympathiæ phænomenis Medicum imbui necesse sit, ex his abundè liquet; quid de causarum illius indagatione censerì debeat, alter exponet paragraphus.

### I I I.

**Q**UOD mutuuum spectat animæ & corporis commetium, omne metaphysicorum est; horum autem ratiociniis supersedere, suprema physicorum lex...

De maternæ verò in fœtum imaginationis influxu differuere perpauca; rem absurdam ac impossibilem declarantibus nonnullis, ex eo quod deessent placentæ nervei funes, sola organa juxta eos, quæ sensum transmittere valeant. Erravere quidem priores; at culpa hæc veniâ sanè dignior, quàm eorum temeritas qui vera negant, ex eo quòd ingenii sui captum exsuperent.

Solius verò corporis sympathiæ causas vulgò sequentes assignant Medici: loci viciniam; paritatem officii; cellulosi textûs, membranarum, vasorum, nervorumque communionem.

Quæ ad primam referuntur phænomena, ut impedita tumidis tonsillis, deglutitio, respiratio difficilis in ascite, gravidarum dysuriæ, instante puerperio; hæc omnia non sunt sympathiæ; sed directè causæ



morbificæ actionem subeunt, suam ab illâ mutantur actionem; inde verè dici possunt idiopathica.

Ab officii paritate, ut causâ, deducuntur traditus jam sensûs organorum, renum, testiculorumve inter se consensus; transitus cariei à dente quolibet ad oppositum; doloris ex hepate in-lien, & vicissim unico tamen sæpè laborante; mobi cujusvis decubitus super cuncta ejusdem generis organa, luis venereæ super genitalia, scrophulosæ supra lymphæ glandulas; scorbuticæ supra musculos; rachiticæ super ossa; arthricæ super articulos, scabiosæ super universam cutim; at dicere partes quasdam sibi ob organisationis & officii similitudinem consentire, nonne idem est, ac si diceretur eas συμπαθεῖν, ὅτι συμπαθεῖν id est, consentire inter se, quia sunt sympathicæ; quod certè nihil explicat.

Si infarcto abdomine genæ rubeant; si suppressis menstruis hemoptoë supervenerit; si artu truncato, reliquum corpus in amplius volumine videatur accrescere; si phrenitidem ophtalmia, vel hanc illa subsequatur; si plerumque capitis dolor, fluxo per nares cruore, penitus evanescat; si liene belluis erepto (1) hepatis intumescencia, mictio crebrior majorque salacitas suboriantur; hæc omnia communicationi vasorum referri solent phænomena. Sed idem sanè de hacce causâ sentiendum ac de *viciniâ loci* jam vidimus; si enim sanguis præsentia suâ tantum, ibi noceat, ubi malum apparet, hæc affectio non est sympathica, sed merum symptoma. Quæquidem in eo differunt quod omnis sympathica affectio sit & symptomatica; non omne verò symptoma sympathia dici debeat; præsertim quandò ubi illud apparet, ibi & causa ejusdem extiterit; quod quidem in allatis casibus videre est; undè concludi potest, ex communione vasorum adæquatos sympathiæ minime posse deduci calculos.

(1) Boër. infl. med. § 227.

Præcipuas in æconomia animali partes agere textum cellularem, evincit morborum historia. Multa quidem hujusce penetrabilitati, alia autem hujus vi tonicæ debent referri phænomena. Ex priori verò prospiciâ vulgò oriri videntur corporum extraneorum hûc semel admissionis facillima promotio, puris hûc & illûc per musculorum intestitia diffusio è profundis artuum ulceribus; erysipelacei, herpetici, scabiosi, rheumatici humoris sub cute vagæ instillationes; stases critica; ferosæ, purulentiæ, lacteæ metastases; emphysema. Quis verò hisce phænomenis sympathici nomen ascriberet, quorum nullum certè sine locali materiæ morbificæ decubitu censetur existere.

Quæ celluloso textui deprehenditur inesse tonica vis, nihil aliud est quam certus tensionis actuosæ gradus interiora corporis organa firmans ac stabiliens; nimiam horum instar atmospheræ, distensionem



coërcens, undè reciproco solidorum ac fluidorum motui, major aſſi-  
vitas, vis vitæ vividior. Differt ille tonus à tensione, ſoli lamel-  
larum continuitati & aſtæ cum ambientibus cohærentiæ debitâ.  
Hæcce mechanica dici poteſt, vitalis vero altera. Auctæ tensionis mecha-  
nicæ ſpecimen offert ambuſtio; imminutæ verò, leucophlegmatia. Secus  
de poſteriori; vis vitæ aucta illam auget, minuta infringit. In inflam-  
matione altiùs vehitur, & eſt erethiſmi ſtatus; in ſyncope verò defi-  
cit, & eſt atonia. Fugiente vitâ, fugit & tonus ei numquam ſuperſtes.  
Cum autem à nervorum influxu vis vitæ pendere videatur, ab eo  
quoque ſuas tonicam vim fortiri leges; conſpicere nil vetat; ſiquidem  
hujus variæ mutationes diverſis illius phaſibus egregiè conſonant.

Nemini jam arridet Bagliviana ſympathiæ explicatio, per membrana-  
rum propagationes; membranas porrò ut nervos expansos habet auctor  
celeberrimus, proindè ſentientes; vim quamdam elastiſcam illis tribuit,  
quâ reſiliant ſi preſſæ fuerint; aut ſi irritatæ, motus oſcillatorios exe-  
rere valeant, à centro irritationis ad ambitum ſpaſmodicè tranſilientes.  
Sed, 1°. nerveam membranæ originem negat accuratior anatome;  
2°. non ſentire membranas demonſtrat HALLERUS. 3°. Conceſſa mem-  
branis elastiſcitas nil ad ſympathiam conſert. 4°. Demum hæc oſcillatorios  
motus exerendi facultas, ut enucleata modò textûs cellulofi tonica vis,  
cui ſatis admodum congruit, in nerveum ſyſtema penitùs refun-  
denda eſt. De hujus creditâ ad ſympathiam efficaciâ, nunc agendum  
ſupereſt.

Nulla ſeſe offert humano in corpore ſympathia, cujus à conſentaneâ  
nervorum diſtributione ratio qualiſcumque deduci non poſſit. Quinimò  
recentiores eò Phyſiologi devenerunt, ut, pro nutu ſuo, ſympathica  
phænomena ſtimulorum ope valeant edere, vel ligaturam nervis inji-  
ciendo, ſiſtere. Emerſit igitur è puteo veritas, ac nervorum communio  
genuina ſympathiæ cauſa habetur apud omnes.

Sed attendas velim; egregia hæc tam decantata ſympathiæ cauſa,  
tunc hiſce dignam ſe promit eſſe laudibus, cum cunctis evincetur con-  
gruere phænomenis. Quot porrò expediendi ſuperſunt nodi, nervorum  
etiam communione ſemel admiſſâ, penitùs inſolubiles!

Ac, 1°. reciproca deberet eſſe mali communicatio: cur ergò, vulne-  
rato inflammatoque diaphragmate, quieſcit uterus, licet ille hunc ferè  
ſemper in mali ſui conſortium advocet?

2°. Cur dolenti præcipuo cuius organo, utero ſcilicet, quædam tan-  
tùm conſentiunt partes, etiamſi cum pluribus, nervorum interventu,  
communicet?

3°. Cur eadem ejusdem partis affectio in varias partes variis tempo-  
ribus, tranſmittitur? Enimverò catameniorum vitio laborantes, nunc

Bij



cephalagiis, nunc suffocationibus, nunc cardialgiis, aut alvi torminibus vexari, testantur clinici serè omnes.

4°. Cur sæpè affectio sympathica sese exhibet ab idiopathica tam dissimilem? Vermes intestina vellicent, dilatatur pupilla, pruriunt nares. Dentes increcendo alveos gingivasque distendant, fit diarrhæa. Caput nonnumquam valdè dolet ob saburram, de quâ ventriculus nequidem affici videtur.

5°. Cur hîc vigente morbi causâ, dolor alibi tyrannidem suam exercet; ut in calculoso qui nihil præter genuum dolores; & altero, qui nihil præter ejusdem lateris hemicraniam accusaverat?

6°. Denique, cur idem organum variam cum cæteris sympathiam exerit, prout diversa illius loca afficiuntur? Namque doleat cardia, singultus sequitur; si verò irritetur fundus ventriculi, vomitum ciet.

Ergò deducta à nervis sympathicorum effectuum explicatio, pluribus alliditur obstaculis. Sed esto illam veritati maximè consentaneam esse. Quid inde? Sequetur nervos esse primaria tantum sympathiarum, ut & omnium sensationum organa, meras harum instrumentales causas. Superest utique solvendum, quonam præcisè mechanismo, tale munus adimpleant; estque causa hæc proxima, de quâ valdè ambigitur; triplex tamen hæc de re circumfertur opinio.

Ac primò supponit Astruc (1) è nervo quolibet irritato refluere spiritus animales usque ad commune sensorium: ibi quasdam fingit interjectas columellas, seu tendineas fibras, hoc refluxu commoveri; hinc fieri sensationem; tum à motâ fibrâ reflecti spiritus; reflecti quidem per eam lineam quæ faciat reflexionis angulum, angulo incidentiæ æqualem; insuper in directione illius lineæ existens supponit osium nervi cujusdam, inquem influent illi spiritus, ut subitò sympathicè moveantur illæ partes quibus nervus ille prospicit. O fallaces imaginationis illecebras! Hæcce mechanica hypothesis, tanti viri pace dixerim, rationi & experientiæ nimis adversatur, ut in rebus physicis explicandis, admitti valeat.

Ubi (2) adsunt nervorum ganglia, ibi est partium consensus; nervi quibus desunt, nullas partes in consensum trahunt. En præcipuas horum assertiones, qui nervorum sympathias à gangliis sympathici maximi deducunt; sed hîc errare facile est, cum nec minima sit in corpore fibrilla nervea, quæ sympathico maximo non aliquo modo connectatur, cujus proindè ad explicandos effectus quædam ganglia, non possint interpellari. Sed ad præcipuos truncos attendamus. Dura nervi acoustici pars cum dentium nervis à quinto pari prodeuntibus habet consensum, etsi gangliis utrumque destituatur. Aliunde, pleuræ dolori non condolet uterus, etsi nervus intercostalis maximus utrique prof-

(1) Vide extrarotationem the-  
tici, an sym-  
pathia partium a  
vixit quædam po-  
situra ne vorum  
in interno sen-  
sorio? A celeberr.  
auctore, pro so-  
lenni copiano.  
p. pugnatamque.  
1743.

(2) Vide thes.  
M. Micie, An à  
gangliis in-  
ter costalis, par-  
tium omnium con-  
sensus? Propug.  
an 1764.



piciat; unde ubi adsunt ganglia, non ibi semper est partium consensus; ut & ubi desunt, partes nihilominus in consensum venire queunt.

Cunctis planè superandis obicibus plexus nerveos pares esse nonnulli autumant (1). Nervos hi cavos esse rati, plexus eorum vasculosis anastomosibus assimilant; hinc fluxum refluxumque spirituum, variè pro variis circumstantiis, ex funiculo in aliud fieri, sibi fingentes, à tam felici dispositione derivari sympathiam afferunt.

(1) Vide thes. charl. M. Dhu-  
aume, *An à ner-  
vi præcipui par-  
tium consensus?*  
an. 1758.

Id si verum est, partes quorum nervi communem in plexum coeunt, sibi invicem compati necesse est. nervo cubitali puncto, debet in consensum venire diaphragma, nervus enim *diaphragmaticus* cum plexu brachiali, nexus superiores agnoscit. Præterea frustra secto duræ portionis trunco paralyfim faciei metueremus. Cum enim triplicem præcipuè plexum subeat nervus ille, si spiritus animales in ejus furculos à proprio stipite non derivarent, saltem *ἀναστροφῶν* beneficio, sat fluidi nervei eis infundi poterit, à nervis plexûs communione gaudentibus, ut inter vasa sanguifera solemne est; unde licet resectus fuerit *portionis duræ* truncus, non idèd magis exarescet illius retiformis expansio, *pes anferinus* dicta; nec paralyfis adesse poterit; at fors diversa manet: si enim caries tympanum erodens, nervum quoque *ἀκουσικόν* afficit, sensum hujus perire, paralyfimque statim induci quotidianum est: ut ergò legitimus quidam plexubus gangliisve usus ascribatur, elucescat antè, necesse est, genuina structura nervi simplicissimi, de quâ tantopere adhuc-dùm disceptatur apud anatomicos; nervus quippe, juxta alios est fibra solida, elastica, vibratilis; juxta alios verò canalis esse conjicitur, invisibili cavitate gaudens, in qua movetur in orbem, motu quidem perniciosissimo, fluidum nescio quod, æthereum, magneticum, electricum, phlogisticum, varium denique, prout fingere illud quemcumque libuerit.

Ergò nulla opinio causam sympathiæ efficientem enucleat; est igitur sympathia quoddam ex illis naturæ portentis, quorum quidem effectus omnium percellunt oculos; causa verò crassis latet occulta & circumfusa tenebris.

#### I V.

**M**IRANDAM corporis humani molem sedulò perlustrare, cunctas hujusce partes scalpello prosequi; proprios hujus humores chymicæ analyfi subijcere; idoneis experimentis varias interrogare partium facultates; diversas earum actiones, actionum circumstantias, mutuos earum inter se consensus attentè considerare; tot laborum effectus sobriè colligere; veterum observatis sua fulcire: en genuinam disciplinæ Medico necessariæ, consequendæ viam; en artis limina salutanti prius adimplenda munera; quicumque jam in hisce obeundis in-



claruerit, ille theoriæ medicæ medullam tenere dici potest. Noscit enim vitam, sanitatem, sanitatisque necessarias condiciones. Haud evenitur quidem ejus ingenium, ad sublimiores rerum causas; haud theoricorum libris impallefcit; haud varias deglutit horum hypotheses; sed quid inde? Naturam verè callet, eam contemplatur, demiratur, digna matris optimæ soboles, dignus tanti Præceptoris alumnus.

Hæc Medico minimè sufficere putas! præsto sit exemplum. Diversa digestionis organa, diversi humores, diversi motus, diversæ horum omnium condiciones ex observatis mihi innotescant; quid amplius necesse est? Anne causam famis stimulos injicientem rimari? Vim verè digestivam æstimare? Nùm ad tritum, fermentationem, dissolutionemve referenda sit, tædiosè agitare? ... Modò thoracis structuram, sanè mirabilem, costarumque in ejus motatione mechanismum; tum propriam muscutorum directionem; varia aeris pulmones ingressu suo dilatantis, thoracisve eos descensu suo comprimentis, attentus observaverim phænomena, quid inservit differere quænam prima sit primæ inspirationis causa? Nùm gravitatis ope, prior expandat pulmones atmosphaera, vel præludent inspiratoriæ vires? Cur narium vellicatio sese diaphragmati communicet; cur supremi conatus, athletici labores longâ inspiratione faciliùs peragi soleant? .... Hæc & similia quid scire refert? Modò res teneamus, modò has nostro quæstui valeamus apponere? Nonne præstantius est pauca scire, sed vera, quam ephemeris inhiare speculationibus, ex errore in errorem labi, operam sic & horas perdere?

Si verò solâ rerum observatione sufficiens possit instrui disciplinæ Medicæ supellex, quid ad praxim ultrâ requiritur? Sola observatio, absque theoriâ, felices sæpè effecit medicos; sola speculatio, nullos. Enim-verò cuicumque fors objecerit complures observare morbos, ac morborum differentias; solus ille signa callet hisce ritè dignoscendis idonea; nullus, nisi qui cunctis eorum circumstantiis religiosè studuerit, effectus sympathicos ab idiopathicis par erit distinguere. Hanc igitur *διαγνωστικὴν* artem ab autopsiâ tenenti, quid utilius rei explicatio conferre valeret? Dolorem capitis suum in epigastricâ, vel hypogastricâ regione fomitem habere detexerit, expurgat ventriculum, vel per anodyna patientis sopit uteri dolores. Explicato phænomeno, quid egisset præstantius? Sympathica noscenti graviditatis phænomena si quæ gerens utero, nauseam, dolentesve, licet integros dentes, accusaverit, ab emeticis forcipibusque prudens abstinet. Observat Medicus applicatis extûs cantharidibus offendi vesicam; insuper huic noxæ potus temperantes, usumque caphuræ tum intûs, tum extûs egregiè prospicere; quid hic præstat effectus utriusque ratio? Magneticas in



odontalgiam vires si fortè extulerim; fabulas amiles! inquis; id rationi repugnat. Equidem; at rem confirmat experientia... Emplastrum opii temporibus eundem ad finem applicari, tibi futile videtur; evanescit dolor nihilominus. Tussiculosis oleum & linctus quandoque proficere vidimus; at nescimus quomodò; nec enim transire oleum intrà pulmones facile crediderim. Usus guttarum aliquot spiritus salis, vino diluti plurimis valdè profecit ramicosis; ergò, cum cautelâ tamen, suadeatur. Fugit nos cur aluminosus pulvis digestionis officinam haud prætereans, Hæmoptoë finem citò sæpè imponat; res tamen extra dubium omne veriat. Demùm uti lui venereæ hydrargyrum, scorbuticæ plantas cruciferas acetosis conjunctas, intermittentibus corticem Peruvianum felici exitu quotidie opponimus, quantumvis fugiant nos & luis utriusque nativa indoles, & specificorum vis verè medica-trix: sic ex iteratis sympathiæ phænomenorum observationibus, & tutiorem in morbis *διὰ νου* & feliciorem *θεραπεύειν* instituere par erat Medicus, etiam si causa illorum proxima, obscuriori lateat obruta caligine.

## V

**A**T, inquires, *sublatâ causâ, tollitur & effectus*. Ut ergò morbus abigi queat, ejus prænoscantur causæ, necesse est. Hinc benè cecinit vates: *felix qui potuit rerum cognoscere causas!*... Fateor: at causarum ordo duplex; altera quæ in sensus incurrit, altera vetò fugiens aciem ingenii perspicacissimam. Prior, ut potè sensibilis, observari potest, eamque sedulò observandam huc-usque pluries commendatum voluimus; altioris verò indaginis posterior, ac humani ingenii captum exsuperans, nullius, nec physico, nec rimanti Medico, utilitatis esse potest; ut ex præmissis facile colligitur.

Instas. Cuncta scientiarum inventa non eadem sibi ætas vindicat; ergò si novis lucubrationibus periti indulserint, spes remanet, quod, olim, obscura adhuc dum sympathiæ ratio, tandem illucescet... Eventus hujusce desiderium te premit; prius observa; ratio tunc, si fas erit, tantùm *illucescet*. Natæ verò ab intellectu scientiæ vago incessu nunquam progrediuntur; semper à principiis inconcussis ad nova stabienda procedunt: sic quotidie omnium certissima, expatiatur mathesis. Diversum sectantes iter, à vero tramite discedunt. Porro principium illud inconcussum quo niti deberet quæcunque sympathiæ phænomenorum explicatio, perfecta est vitæ cognitio; sympathia enim vitæ coæva, cunctis vitæ subdita phasibus, ab illâ præcipuè sobolescit. Porro vita latet, latebitque diù: cujus, nî fallor, causam proximam extricare nemò unquam suscipiet, ipsamet ejus oculatissimos fallente naturâ. Ergò nec hodie sympathiarum inno-



tescunt causæ; nec, quidquid meditemur, eas unquam posse innotescere jure concludimus.

Nec, objicies demum, quantam innuis, tanta speranda est sympathiæ observandæ utilitas; quippe quæ nulli normæ subdita, tam parum in suis sibi ipsi constat phænomenis; tam dissimiles eadem ejusdem partis affectio consensus evocat (1)!... Quid inde? quod porro novi quippiam medicis quotidie observandum se præbeat; raròque eadem, sub eodem aspectu se prodant: qui verò jam in observandis attentos, indefessos magis, ac veritati obsequiosiores sese præstiterunt, hi posthàc & in novis inveniendis solertiores esse solent. Observatio enim ad id præcipuè inservit, ut oculatiorem efficiat Medicum, ità ut, quidquid novum evenierit, id, statim, nullo ingenii conatu, juxta cunctas, si sic loqui fas sit, ejus dimensiones, amplecti valeat, judiciumque de eo ferre tam certum, quàm si res se jam millies obtulisset.

(1) Vide jam.  
& jam, object. de  
nerv. influxu in  
sympath. § 3. hu-  
jus-cc Theor.

Hactenus, quantum sympathiæ doctrina Medico profit; quantum causæ primariæ disquisitio sit inventu difficilis; solidiora demum sympathiæ doctrinæ fundamenta, solam sibi vindicare observationis vim & energiam, enucleasse ratis, liceat nunc concludere:

*Ergò à sola observatione sympathiæ doctrina.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

|                                                                                                                                      |                                                                                                        |                                                                                                                                                             |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| M. Ludovicus DES BOIS<br>DE ROCHEFORT,<br>Eques, Censor Regius.                                                                      | M. Henricus - Joannes<br>BAGET.                                                                        | M. Gaspardus COCHON<br>DUPUY, Regii ordinis<br>Eques, Regis consiliarius<br>& in arce maritimâ rupi-<br>fortensi Anatomæ & Chi-<br>rurgiæ Professor Regius. |
| M. Joannes - Franciscus -<br>Achilles DE LALOUET-<br>TE, Eques, è Regiâ So-<br>cietate Medicâ Parisiensi<br>pro epidemiis institutâ. | M. Carolus-Jacobus SAIL-<br>LANT, è Regiâ Societate<br>Medicâ Parisiensi pro epi-<br>demiis institutâ. | M. Jacobus - Albertus<br>HAZON.                                                                                                                             |
| M. Josephus COTTON.                                                                                                                  | M. Theobaldus NIZON.                                                                                   | M. Claudius-Carolus DE-<br>JEAN.                                                                                                                            |

Proponebat Parisiis, MICHAEL - FRANCISCUS DE LA PLANCHE, Parisinus,  
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor. A. R. S. H.  
1776. À SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universit. & Facult. Med. Typographi, 1776.